

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Justa Pietatis Solennia Quae Viro ... Michaeli Bulyovvszky**

**Bulyovszky, Mihály**

**Durlaci, 1706**

[urn:nbn:de:bsz:31-2411](#)

JUSTA PIETATIS SOLENNIA,  
 Quæ  
 V I R O  
*Nobilissimo, Amplissimo atq; Excellentissimo,*  
**MICHAELI  
 BULYOVVSZKY**  
*de Dulycz, Ill. Gymn. Durl. Pro-Rect. Philos.*  
*Activæ itemq; Mathezeon & Historiarum*  
*Profess. Publico &c.*

*Cum is  
 ab*

Serenissimo Principe ac Domino,  
**DOMINO  
 FRIDERICO  
 MAGNO,**  
 Marchione Badensi & Hochbergensi, Landgravio  
 in Saufenberg, Comite in Sponheim & Eber-  
 stein, Dynasta in Rötteln, Badenvveiler, Lahr  
 & Mahlberg, &c.  
 Statore nostro ac Nutrio longe faventissimo,  
*Inter Consiliarios Ecclesiasticos*  
*ipsa S. Pentecostes luce, quæ erat in-ante Kal. Quintileis nona*  
*Præsentis anni MDCCVI, referetur :*  
 Solvebat,  
*istog̃ monimento quodam conceptam intus lätitiam*  
*animorum suorum foras*  
 efferebat

ILLUSTRE GYMNASIUM DURLACENSE.



DURLACI, Typis Theodori Hechtii, Typ. Aul.

(1776)

*Kroßzell. H.R.  
 Johann Gott. Mahler.*



**V**os mihi, terrarum passim pelagiq; potentes,  
 Parcite, si justa pectora bile tument!  
**V**Aut nihil, aut cultæ merces injuria musæ est;  
 Hoc pretio vates in grave surgit epos.  
 Doctus in exemplo nobis præceptor arandi;  
 Expulit infontem vallibus Ascra suis:  
 Naso relegatus violenti Cæsaris ira  
 Intulit heu! capiti quam mala multa suo?  
 Ipse tuba clarus, tumidiq; Papinius oris  
 Liberti jacuit divitis ante fores.  
 Quam magis ô! felix, quisquis commercia curat,  
 Jurave Romani litigiosa fori:  
 Aut etiam natas summis in collibus herbas  
 Misceat, ac medici tentet operta chori:  
 Sola pruinosis horret Facundia pannis;  
 Atque inopi sortis crimina voce dolet:  
 Seque palam queritur, studiumque perire suorum,  
 Iratoque operas Hercule prorsus agi.  
 Nunc quoque contemtas etiam mihi ne quis ad arteis  
 Applicet ingenii floridioris opes;  
 En! iterum moneo: fugite ô! Cyrrhæa, sodales,  
 Culmina, & Aonidum jussa, sacramque Claron;  
 Proque bono versu Mavortia ducite pila,  
 Ac Junonigenæ signa tenete Dei:  
 Aut mare navigiis Myrtoum, aut vomere fulcos  
 Scindite, tardipedes aut agitate boves:  
 Dummodo doctarum fugiatis sacra fororum,  
 Quodlibet ex multis sollicitetur opus.  
 Talia cum gemitu quidam, gravioraque, nuper,  
 Justaque, dicebat, quo rapit ira, ferar:  
**Q**uum, Cave, *Musa viro*, tantas iterare querelas,  
 Mœstaque sollicito pectora solve metu.  
 Eripit hoc probrum seculo, nobisque dolorem  
*MAGNUS*, & Illius fata serenat amor.  
 Ipse quidem haud nescis, funesto ut Patria luctu  
 Mœreat, extremum sustineatque diem:  
Visce-

Visceribusque imis, nullo prohibente, vagetur  
 Belliger, ac tristi turbidus ore Deus.  
 Sic tamen [ò *MAGNO* Clementia *Principe* digna!] Pieridas secum sic quoque flere vetat:  
 Sic quoque, versemur licet hostes inter & arma,  
     Justus honos nobis, Gymnasioque venit.  
 Maëte animo Princeps! sic vincere fata, necemque,  
     Parcarumque licet conteruisse minas:  
 Sic Tibi fama venit; sic omni imitabile seculo  
     Perpetuæ exemplum Posteritatis eris!  
 Quin, ubi fatorum numeros impleveris omnes,  
     Inque brevi jaceas corpus inane cado:  
 Forte sacer vates imas descendet ad umbras,  
     Regnaque lugubri rumpet opaca sono:  
 Forte quoque obscuri superans alta ostia Ditis  
     Evadet stygiæ torva sub ora Deæ:  
 Atque iterum viëtis Cocytii manibus ultro  
     Restituet vitæ fila retexta Tuæ.  
 Sin minus: at meriti densa caligine famam  
     In phlegethontea nocte vetabit agi.  
 Ille Tuas laudes plectro meliore sonabit:  
     Ac dignum *MAGNO* *Principe* condet opus.  
 Barbarie pulsa, justo Tibi Marte triumphum  
     Concinet, ac nitidis prævius ibit equis:  
 Et Patriæ Patrem dicet, Patriæq; salutem  
     Scribet ab Illustri *Principis* ore trahi:  
 Nil breve suscipiet; nec postera diluet ætas,  
     Molitur calamo quæ monimenta suo.  
 Nos quoque, quos spatio natura coërcuit arcto,  
     Quæ licet, & solo, quo licet, ore damus.  
 Magna fatebamur; jam nunc majora fatemur  
     Deberi studiis promeritisque Tuis.  
 Usque adeo doctas animo complecteris arteis!  
     Usque adeo musis ingeniisque faves!  
 Res patet: en! docto fama celebratus in orbe  
     Noster Apollinei duxq; caputq; gregis:  
 Ille *sacri* consors, Te præcipiente, *Synedrii* est;  
     Unde opera musas consiliisque levet.  
 Quos Tibi tam merito cultus? quas dicere laudes?  
     Quævè piis manibus munera ferre decet?  
 Musa file. Perages melius tua justa tacendo;  
     Hoc fueris certe gratior ipsa modo.

At

At Tibi, qui *titulos*, qui *nobile nomen* avorum,  
Qua potes, *antiquum dissimulasq; genus*:  
Teq; *Tuis censes, &c, quæ non ipse parasti,*  
*Vix Tua, vix instar laudis habenda putas:*  
Hunc Tibi (nam Tuus est) juste gratiamur honorem:  
Qui sumus hic curæ tradita cura Tuæ.  
Accipe gratatum voces sua gaudia fassas;  
Ac Tibi sacratum convenienter opus.  
Accipe sinceræ, (sed comiter) accipe, mentis  
Debita, sed merito signa minora Tuo.  
Nam feret æqua DEus, qui *Te & Tua sacra, dōnumq;*  
Tutelæ faciat munus opusque suæ!  
Agmine densato Cultor sacraria Pindi  
Sic eat auspiciis multus ad alta Tuis!  
Sic Tua miretur, sic omnis prædicet ætas,  
Ingenii paucos dotibus ire pares!  
Atque, ubicunq; vigent manuum monumenta Tuarum,  
Illa Tui maneat nominis ora memor!  
Denique, cum fueris meritis defessus & annis,  
(Ista sit! ô fato senior hora meo! )  
Inter & affectus, desideriumq; piorum,  
Terra Tui tantum corporis ossa tegat!  
Fama per externas evadat libera genteis!  
Ipse petas superos umbra beata polos!

